C

DE VERONICA. CAP. LIX.

NOMINA.

Veronica. VETERIBVS Græcis & Latinis cognita fuerit nec ne hæc herba, nondum constat. Vulgus autem herbariorũ hodie Veronicam, Germani Ehrenbreiß oder Grundheyl / ob mirificam sanandi ulcera & uulnera facultatem nominant.

GENERA.

Duûm est generum Veronica: una mas, altera uerò fœmina. Discrimina earum ex descriptionibus patebunt.

FORMA.

Veronica mas herba est per terram serpens, cauliculo dodrantali & nonnunquã etiam longiore, rubescente & lanuginoso, foliis oblongis, nigris, hirsutis & serratis, floribus in cacumine purpureis, semen in uasculis loculi speciem habentibus, radice tenui. Fœmina itidem per terram serpit caule lanuginoso, foliis rotundis instar herbæ quæ Centummorbia & Nummularia hodie uocatur, minimè in ambitu incisis, paulò quàm maris uiridioribus, floribus in luteo purpureis, semine in uasculis rotundis, radice, ut mas, tenui.

LOCVS.

Nascitur incultis & syluestribus locis.

TEMPVS.

Iunio mense floribus & semine abundat.

TEMPERAMENTVM.

Amaritudinem quandam & uehementem adstrictionem in gustu præ se fert, ut hinc calidam & siccam esse conijcere liceat.

D

VIRES.

Mirificè ad cruẽnta ac uetera uulnera & ulcera sananda confert. Scabiei denique & omnibus cutis uitijs medetur. Ferũt quondam huius herbæ adiumento Regem Galliæ elephantiæ morbo correptum, à quodam uenatore sanatum esse, cum is ceruum à lupo uulneratum eius herbæ comestione, & assidua in illa uolutatione, curasse seipsum animaduertisset. Tumores etiam, in quacunq; corporis parte fuerint, potissimum autem in ceruice, discutere potest. Recentiores huius usum unicè commendant in febribus pestilentialibus, iecoris & lienis obstructionibus, potissimum uero pulmonis exulcerationibus.

DE BVLBO SYLVESTRI. CAP. LX.

NOMINA.

Cepa syluestris. *Bulbi.* BOΛBOΣ ἄγριος Græcis, Bulbus syluestris Latinis. Sunt quibus Cepa syluestris appellatur. Germanicè Feld / wild oder ackerzwibel. Bulbos autem nominant radices suis membranis tunicatas, siue pluribus capitulis coagmententur, uno folliculo omnes ambiente, siue quadantenus distinctæ separentur.

FORMA.

Herba est caule dodrantali, cauo, foliis porraceis, floribus lilij sinuatim emicantibus, speciosis, sex foliis è calatho stellatim radiatis, ex uiridi in luteum tendentibus, capillo intus croceo, capitulo floribus decidentibus triangulari, seminibus pleno, radice bulbosa ceu Allium, citra odorem glutinosa.

LOCVS.

In locis umbrosis, circaq; margines quorundam pratorũ copiosè prouenit. Quare in uallibus non procul à Tubinga iuxta monasteriũ Bebenhusense sitis, & radice montis Austriaci ad pratum tenue uocatum, Bulbus plurimus nascitur.

TEMPVS.



BVLBVS SYLVESTRIS.